



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI

e uero & mulieres prophetare, si habent uerbum, ubi uiri nō sunt qui uerbum habeant. 1. ad Corin. 11. Mulier orās aut prophetans, &c. Iohelis 2. legis, Et prophetabunt filij uestri, & filia uestre. Actorū. 21. Erant Philippo quatuor filia uirgines prophetantes. Et Maria canit Magnificat, &c.

CAPVT III.

DE EPISCOPIS ET DIACONIS.

Episcopos esse uerbi dei prædicatores ad hoc electos, & diaconos esse sanctorum ministros, & pauperū prouisores admonui in principio epistolæ ad Philip. Hi eligebantur in ciuitate à populo, uel ab Episcopo: id est, apostolo aliquo, siue prædicatore, q̄ illic populū docuerat: & manere ibi non potuit consentiente tum & uolente populo. Eligebantur autem ex ciuibus probatissimis, quibus erant uxor, filij, familia, domus cura, &c. Sicut nunc consules eliguntur: ut hic uides. Vnde episcopatus & diaconatus officia erant, non perpetuæ dignitates, ut nunc fabulantur de characterẽ indelebili. Compose ergo nūc nostrorū dignitates illorū officijs, et uidebis apostolicā institutionem nostros ignorare. Igitur apostolus dat, si qui sint qui cupiunt præfici, quẽ admodū hic describit. Bonū enim opus desyderant, non suam gloriã aut cōmodū: officia enim sunt, non dignitates. Eadem penè uides ad Titū

laü // episcopatus
officiū, nō
dignitas est

IN EPI. PAULI AD TIM. I. 87

1. quæ huc quoq; confer. Tales describit, qui non solum docti sint & potentes in uerbo & fide euangelij Christi, & inculpato coram deo: sed etiã contra quos ne infideles quidem habeant, quod uel iuste obijciant, aut saltem de quo male suspicentur, non solum ex propria persona: sed etiã ex uxore, filijs, familia, &c. ne blasphemetur bonum dei uerbum, &c.

Vnius uxoris maritum.

Id est, qui non habeat simul plures uxores, quemadmodum tunc: quidam ex Iudæis, quidam & ex gentibus nuper cõuersis adhuc habebant. Hoc ideo, ne sint suspecti de impudicitia. Nõ ergo hic dicitur, quod mortua uxore non possit ducere aliam, quasi tunc debeat resignare familiã, liberis, domui: quæ hic uidet, &c.

Nouicium.

Id est, nuper conuersum, & nondum probatum tentationibus: quales ferè solent putare se aliquid esse, cum nihil sint. Superbiunt enim quasi fide fortes, & ueniente tentatione cadunt, & negant, aperientes ora blasphemijs contra euangelium dei.

Tenentes mysterium fidei.

Id est, cognoscentes & habentes apud se fidem, quæ reuelatur in corde, quæ à mundo non uidetur. Et hoc cum pura conscientia, sicut antea monuimus: fidem cõ conscientia bona coniungi: id est qui boni non audeant

ANNOT. IOANNIS POMERANI

aliud dicere aut facere, quam quod secundum fidei
sentiunt: hoc est quod in Actis apostolorum eliguntur
diaconi siue ministri, pleni spiritu sancto. sicut dixi in
epistola ad Philippen.

Nam qui bene ministrauerint.

Id est cum pura conscientia, & absque crimine, si-
cut supra dixit, ministrent sic, ut nemo possit illos cri-
minari. Hoc uero quod hic additur, gradū bonū, & ca-
uide ne intellexeris de gradibus ecclesiasticis, ut ho-
die dicunt: quasi qui bonus fuerit aliquādiu diaconus,
possit deinde promoueri in episcopum, quod dignus
sit maioribus, qui minora bene præstiterit, scilicet qui
aliquandiu bonus fuerit fossor, potest deinde in bonū
promoueri suturem. Ita errant nostri, solum dignita-
tes & mundanos honores somniantes, non officia: sci-
licet qui bene ministrauerit, & bonus minister fuerit
ex dono spiritus, potest etiam ab hominibus promoueri,
ut sit bonus doctor plebis. Id enim est episcopum esse.
Quid si donū prophetiæ non habeat? ut maxime habe-
at mysteriū fidei cū pura consciētia, sicut supra dixit,
quemadmodū omnes uere Christiani debent habere.
Spiritus namq; diuidit singulis prout uult. Tu ne illum
ex bono ministro promouebis in bonum episcopum?
Simpliciter ergo hic uide, quod Christus dicit: Omni
habēti dabitur, & abundabit, qui accipit donū à deo,
& utitur eo ad utilitatem ecclesiæ, sicut Paulus dicit:

Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem ecclesie, hic inquam habet, & huic eiusdem dono spiritus augetur illa gratia, et abundabit, ut possit adhuc amplius prestare & prodesse. Hoc est quod hic dicit: qui bene ministraverint, id est qui accepto hoc dono spiritus, ut possint esse ministri electi sanctorum, bene usi fuerint ad utilitatem ecclesie, siue indigentium: gradum sibi bonum adquirunt, id est ex dono dei augmentis & ditantis proficiunt, & altius ascendunt in eodem dono, ut indies magis ac magis quam ante, prodesse possint. Quia omni habenti dabitur, et abundabit. Nota est parabola illa euangelica, quae certe de donis loquitur, ubi hoc additur: Ab eo autem qui non habet, id est dono accepto, sicut illic uidet, non utitur ad sanctam usuram: etiam quod uideatur habere, auferetur ab eo, id est inutilis reddetur ab lato rursus dono, & paulatim ab eo etiam fides cordis auferitur, & excæcatur: quia infidelis fuit in commissio. Idcirco hic etiam (quod mihi maxime & unice placet) poteris coniungere sic: Gradum sibi bonum adquirunt, & multam libertatem in fide: ut intelligas gradum bonum in fide, ut crescant ex fide in fidem, qui ex fide bene ministrant. Et multam libertatem in fide, id est abunde accipiunt liberam in omnibus conscientiam, & fiduciam in deum, nulla cordis angustia & diffidentia laborantes, qui ex pura conscientia bene ministrant. quasi diceret Paulus, Tales eligendi sunt in ministerium, ex quibus indies maior speratur per deum profectus.

Exponitur
parabola
de talentis.

ANNOT. IOANNIS POMERANI
In domo dei.

Hæc domus deum habet habitatorem, regnum celorum, regnum dei: regnum Christi, templum spiritus sancti, columna & stabilimentum ueritatis: quippe quam spiritus habitator fundauit supra firmam petram: id est Christum, docens in ea omnem ueritatem: contra quam ueritatem, ne portæ inferorum preualere possunt: extra quam sunt mere tenebræ, & errores, & regnum principis tenebrarum, &c.

Vt noris quomodo, &c.

Id est, quæ curare debeas, &c. Nam mox capite sequenti de nostris episcopis longe diuersis dicturus est.

Magnum est pietatis mysterium.

Id est, arcanum, hætenus mundo incognitum, quod ecclesia dei uiuentis nouit, cuius ministri sunt Timotheus, Paulus &c. sicut ad Corin. dicit: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Mysterium autem hoc est, deus manifestatus est in carne adsumpta. Ioan. I. Verbum caro factum est, &c. & uidimus gloriam eius &c. Iustificatus est in spiritu: id quod deo non conuenit, sed Christi humanitati, quæ certum est non à seipsa fuisse iustam, sed à deo, qui solus iustificat. Ideo deo uero tribuit, quia deus & homo unus est Christus: sicut filius dei dicitur mortuus pro peccatis nostris. Recte ergo distribuit,
manifestatio

manifestatio est in carne, iustificatio autem in spiritu. In carne miraculis proditur, & prædicatur, in spiritu autem iustificatus, non nisi fide creditur. Siquidem in Christum hominem, deus ita iustitiam infudit, ut ipse esset nobis iustitia & sanctificatio & redemptio, sicut 1. Corin. 1. Qui factus est nobis à deo sapientia. & in psalmo 44. Propterea unxit te deus, &c. Et Ioan. 10. Quem pater sanctificauit & misit in mundum. & Ioan. 3. Non ad mensuram dat deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Atq; hic caro non prodest quicquam, nisi etiam iustificatū credas Christū in spiritu, atq; ad eò iustitiā dei per quem iusti sumus, & satis fiat pro peccatis nostris & saluemur. Hoc autem mysterium manifestati dei in carne Christi, & iustificati dei in spiritu Christi, dignatione dei reuelatū est uniuersæ creaturæ. Nam & angeli desiderant in ea prospicere, quæ per Christum habemus. 1. Petri 1. Et oculus non uidit, &c. Et prædicatum est gentibus, cum soli Iudæi sibi uiderentur ad Messiam pertinere, & ad mysteriū regni cælorum, sicut diximus ad Ephe. 2. & 3. Creditum autem est in toto mundo: alioqui quid profuisset prædicatum esse? Præterea receptum est in gloria, ut omnes glorificent filium, sicut glorificant patrem: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. & omnis lingua confiteatur quod Christus est in gloria dei patris. Glorificatio

ANNOT. IOANNIS POMERANI

hæc est in omni terra, & super omnes cælos, Tanto excellentior angelis factus est, Hebræos 1. Regnum enim habet æternum & sacerdotium, &c. Porro certum est ueterem interpretem aliter legisse in Græco, sicut & Ambrosius legit & sic reddit, quod manifestatum, &c. Et omnia quæ sequuntur, ad mysterium referuntur: sed in eandem sententiam recidunt.

CAPVT IIII.

Hunc locum explicauimus in epistola secunda ad Thess. cap. 2. Quæ uero sint nouissima tempora, ut uetus translatio habet, dixi Esaiæ 2.

Creauit ad sumendum.

Gen. 1. & 9. Creauit ad sumendum cum gratiarum actione, ut ex beneficio agnoscant patrem. Sanctus est qui comedit carnes, & gratias agit. Indignus est omni creatura, qui abstinet à carnibus, & non agnoscit creatorē. Lege 1. Corin. 10. Quare libertas mea iudicatur, &c. Lege quoq; ad Rho. 14. Voluit & tali beneficio à gentibus agnosci, sed tenebræ erant in mundo, sicut Paulus dicit Act. 14. Qui in primis generationibus, &c. Sed quare dicit. fidelibus, quum & infideles edant, bibant, utantur creaturis? Dico, quod fidelibus deus dedit suas creaturas, ut uides Gen. 1. id est ante lapsum Adæ: post lapsum uero, infideles in omni peccant creatura. ad Titum 1. Omnia munda munda